

proleclis subscribent. Acta sunt hac Die. Mense. Anno. loco.

Ego Fr. Mævius confirmo ut supra. Ego Fr. Justus N. ita deposui. Ego Fr. N. Assessor. Ego Fr. N. Assessor. Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Actuarius.

De concedendis & admittendis Patrono, Procuratore, & Defensionibus.

SUMMARIUM.

- 441 Finito examine rei, siue confessus, vel convictus sit siue non, debet iudex reo etiam non petenti offerre Patronum, & Defensiones, easque concedere; nisi easdem sponte renuntiet. 442 Reus potest etiam ex alieno conventu, imò & Provincia petere Patronum, si causa esset valde ardua: secularis vice concedi debet. 443 Si ipse reus vult facere suas Defensiones, loco Advocati petere potest Procuratorem. 444 Forma offerendi, deputandi, ac acceptandi Patronum & Defensiones. 445 Si reus renuntiat Defensionibus repetitâ vice, acceptatur, & Actis inseritur. 446 Patronus à reo nominatus vocatur ad Iudicem, & si acceptat munus, debet jurare de officio fideliter exequendo. 447 Si nominatus Patronus ex causa rationabili munus recusat, alium concedere debet Iudex: si verò ex causa insufficienti recusat, illum instante reo compellere debet ad acceptandum. 448 Patrono acceptanti munus, consignat Actuarius copiam Actorum; prius tamen a se authenticatam. Et quomodo.

441 Examine Rei finito debet Iudex Reo offerre Patronum, seu Advocatum ex Ordine tamen, & Defensiones cum competenti termino trium, vel quatuor dierum, assignato pro quavis spatio trium dierum v. g. Quæ oblatio fieri debet, etiam si Reus jam confessus, & convictus esset; nisi ipsemet Patrono, & Defensionibus sponte renuntiet; quam renuntiationem Iudex non facile, vel statim recipere, sed oblationem adhuc repetere debet assecrando, quòd libentissimè audire & examinare velit, quidquid pro sua Defensione attulerit. Quo facto, si Reus nihilo minus in sua Renuntiatione manet, eam acceptare, & ad sententiam progredi poterit.

442 Cæterum Patronum etiam ex alio Conventu, imò exigentibus circumstantiis, & gravitate cause etiam ex alia Provincia, raro autem secularem sibi ipsi eligere poterit Reus, quem electum Iudex admittit & deputare, eique juramentum de officio fideliter exequendo offerre debet.

443 Si Reus ipsemet Defensiones suas facere, & loco Patroni seu Advocati Procuratorem petit, ei etiam deseri debet.

Forma autem offerendi, & deputandi Patronum, ac Defensiones patebit ex sequentibus casibus nostris.

444 Cum ex actitatis huc usque contra Fr. Mævium accusatum de delictis, prout supra in libello Accusationis, tales emerferint probationes, & indicia, ut verisimiliter appareat, ipsum reverà commisisse delicta, de quibus accusatus fuerat; quia verò Reus principalia delicta, videlicet sacrilegia, furta, Mortium & Statua B. V. M. pendendum, & calicum constanter ne-

gat, uti patet ex Actis, A. R. P. Provincialis ordinem juris servare volens, eundem in rigoroso examine per torturam confitueri decrevit. Quoniam verò tortura adhiberi nequit ante datas & concessas reo Defensiones. Hinc ulterius decrevit, prout presentis Decretum decernit, memorato reo offerre Patronum, & copiam Actorum (absque tamen nominibus Accusatoris & Testium) cum spatio octo dierum ad hoc, ut intra hoc spatium quidquid pro innocentia & defensione sua conducere potaverit, producere valeat: vel, si manuli loco copia Actorum per suum Patronum lustrare in camera nostra ipsum Processum originale, id etiam concedit; habuit tamen prius à reo pro recte receptis, & examinatis, salvisque exceptionibus & repetitione etc. ac sine prejudicio ulterioris Processus & examinationis, hoc, & omni meliori modo etc. Datum Die. Mense. Anno. loco.

Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Actuarius.

Si ex Actis appareat, Reum jam esse confessum, & plene convictum de crimine, consequenter tortura necessaria non sit, tunc conformiter circumstantiæ mutatis mutandis fit Decretum præfatum v. g.

Esit ex actitatis huc usque liquidè constet, Reum Fr. N. jam esse confessum, vel convictum de crimine N. volens nihilo minus A. R. P. Provincialis ordinem juris servare, decrevit, prout, etc. ut supra.

Potest etiam unico Decreto tres dilationis terminos simul concedere v. g. cum spatio 12. dierum, ita ut 4. pro uno, alii 4. pro 2do, ultimi 4. dies pro tertio dilationis termino peremptoriè serviant.

Decretum dein potest Iudex vel ipse Reo presentis orationem intimare, vel eidem per Notarium notificare. Quicquid sit, inseritur Actis v. g.

Præfatum Decretum per me infra scriptum fuit intimatum Reo Die. Mense. Anno. loco.

Ego Fr. N. Actuarius.

Si Reus renuntiat Patrono, & Defensionibus re. 445 petitâ vice oblati, diligenter inferendum est Actis: Si verò Reus acceptat, debet sibi Patronum eligere, & coram Iudice manifestare, Iudex verò acceptare sequenti formâ.

Anno. Mense. Die. loco. comparuit coram A. R. P. Provinciali Fr. Mævius N. & gratiis actis pro oblati Patrono, & Defensionibus, ac termino concessis, omnia acceptavit, & in Patronum suum elegit P. Justinianum N. Theologice Lectorem, cuius electionem A. R. P. Provincialis acceptavit, & memoratum P. Justinianum N. reo in Patronum indulsit.

Ego Fr. Mævius acceptavi, nominavi. Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Actuarius.

Postea vocatus coram A. R. P. Provinciali comparuit P. Justinianus N. Theologie Lector, & fuit intimatum, quatenus illum Fr. Mævius in Advocatum elegerit in causa Criminali, quæ actitatur contra ipsum, hinc interrogatus, nun onus acceptare vellet? Et respondente ipso affirmativè, A. R. P. Provincialis eidem juramentum de officio fideliter exequendo obtulit, quod ipse tacto pectore etiam præstitit. Acta sunt hac Die. Mense. Anno. loco.

Ego Fr. Justinianus N. acceptavi & juravi. Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Actuarius.

Si

447 Si nominatus Patronus officium ex causa rationabili & legitima, v. g. quia actu docere, vel condiciones inevitabiliter habere deberet, Reus autem est in alio Conventu, ad quem Patronus conferre se deberet, debet Reus alium nominare, & quod sit, Actis inseri.

Si verò absque rationabili causa recusat, v. g. quia hoc officium est ei odiosum, vel quia non vult se reddere odiosum, vel quia deberet multum temporis infumere &c. debet Iudex, si reus instat, recusantem sub penis Juris compellere ad munus acceptandum. Formam talis compulsionis vide apud Ludovicum de Ameno in Formul. Criminal. sect. VI. num. VII.

Non videtur causa sufficiens ad recusandum munus Advocati, seu Patroni, quòd quis dicat, se non esse versatum in iure, nec juri studuisse, neque habere praxin ullam in hac re, debere primum diu studere; si Reus hæc omnia jam sit, & ipsum elegit; quia sibi computare habet Reus, quòd talem & non alium eligat. Debet tamen dein taliter electus studere, legere, & petitoris etiam (si ad manus habeat) interrogare, ut officio suo tite satisfacere queat. Serviant pro hoc libri praxin Criminalia tradentes, inter quos ad hominem omnino est Ludovicus de Ameno in Practic. Criminal. Serviet etiam, si legit ea, quæ hic pro praxi damus.

448 Postquam Patronus acceptavit munus, & juramentum de officio suo fideliter exequendo præstitit, debet eidem vel ipsi Reo, aut Procuratori ipsius, si Advocatum nolens, se ipsum defendere vult Reus, Actuarius dare copiam Actorum (nisi potius Patronus velit lustrare originale Processum) copiam à se prius authenticatam, ita tamen, ut in copia occultet nomina Accusatoris, & Testium: potest etiam brevitatè causâ omittere ea, quæ Reum non gravant, nec ad defensionem ejus servant. Cæterum collationem & authenticationem facit sequenti formâ, legit nempe solus, aut cum alio de verbo ad verbum, & confert cum Originali copiam à se, vel alio descriptam, & subscribit eidem, ut sequitur.

Supra scripta copia fuit de verbo ad verbum cum originali per me infra scriptum collationata, & in omnibus, quantum de Jure, concordat. In quorum fidem etc.

Ego Fr. N. Actuarius.

Dein consignat Patrono Rei, vel ipsimet Reo, vel Procuratori illius, factamque consignationem, & tempus illius inserit Actis.

Anno. Mense. die. loco. per me infra scriptum Actuarius fuit P. Justiniano N. Patrono vel Procuratori Fr. Mævii presentata copia Actorum de verbo ad verbum collationata, & authenticata, qui eam receptis reservatis sibi de Jure reservandis, in quorum fidem etc.

Ego Fr. Justinianus N. Patronus, vel Procurator. Ego Fr. N. Actuarius.

De iis, quæ agere debet patronus, vel Procurator, aut etiam Reus pro Defensione causæ.

SUMMARIUM.

449 Advocatus seu Patronus debet ex Actis, & reo se bene informare in causa: Et si necesse est, aut utile judicet, petere prorogationem ter-

mini, ac nomina Testium, & accusatoris. 450 Forma hujus petitionis, & concessio.

451 Ex causa rationabili debet Iudex sæpius prorogare terminum: Et quomodo?

452 Si reus intra peremptoriè præfixum terminum non compareret, vel non responderet, vel defensiones suas non produceret, pro contumaci declarari, & etiam sententia contra ipsum fieri potest, & debet: Quomodo?

453 Patronus non potest suadere reo, sed potius dissuadere debet, ut delictum verè commissum neget.

454 Si reus jam apparet confessus, vel convictus, suadeat ei, ut desistat, & se humiliet &c.

455 In casu, quo defendendus videtur reus, potest & subinde debet Patronus facere Articulis interrogatorias, seu interrogatoria Testibus jam examinatis proponenda.

456 Quid sint, & quomodo formari, ac presentari debeant?

457 Oblatis interrogatoriis examinantur super illis Testes, & quomodo?

458 Quid faciendum, si Testis in hoc secundo examine variat?

459 Testium repetitio facta communicatur Patrono.

460 Post factam repetitionem Testium, potest, & debet subinde offerre articulos defensionales.

461 Forma & praxis offerendi hos articulos.

462 Si Articuli aliqui imperipientes ponuntur, moderari, corrigi, vel etiam deleri possunt: & quomodo?

463 Super Articulis defensoriis à Patrono propositis examinantur Testes ab eo producti, & quomodo?

464 Patronus potest appellare, si Iudex Testes pro reo adductos non debite examinaret.

465 Examen Testium pro reo completum communicatur Patrono.

466 Quo habito preparat se ad Defensiones. Formam defendendi reum. Ibid.

467 Patronus potest, & debet etiam contra unum vel plures ex Dissimulato excipere, si videntur suspecti: praxis hujus Exceptionis.

468 Si causa Exceptionis est justa excluditur, contra quem fuit exceptum, si non est justa, rejicitur: Et num. præced.

Patronus ante omnia exactè informare se debet 449 in causa, tum ex Actis, tum ex Reo. Ad quem finem debet Reus eidem fidelissimè aperire, & sincerè fateri an, & qualiter sit Reus, nihil profusus eundem celando (tenetur enim Patronus ad secretum graviter) Patrono verò debet diligenter lustrare Acta, & notanda sibi notare pro defensione Rei (de quo vide Ludovicum de Ameno Tit. Patronus XX. q. 1. d. n. 165.)

Si ex Actis, & discursu cum Reo judicet, Reum si non totaliter, tamen ex parte delicti, & saltem à pena ordinaria liberari posse, impendat omnes vires. Et si consideratis considerandis ad finem hunc necessarium putet, habere copiam Actorum, de verbo ad verbum unam cum nominibus Accusatoris & Testium, illam petere, & Iudex dare debet, prout amplius remonstrat Ludovicus de Ameno in Pract. Criminal. Tit. Patronus. XX. §. 4. d. n. 37. Pariter si videt, terminum præfixum sibi non sufficere, petere, & Iudex concedere debet prorogationem illius. Formæ petitionis pateat ex casu nostro.

Coram A. R. P. Provinciali Ministro N. Fr. Justiniano N. Patronus (vel ipse Reus, aut Procurator illius) compareret. & petit terminum concessum utpote ex certis causis sibi nimis brevem prolongari. Insuper petit, integram copiam Actorum, appositis etiam suo loco nominibus Accusatoris, & Testium, cum

intendat contra earum personas legitime excipere, pro-
refando &c. Salva semper erga A. R. P. Provincia-
lem reverentia, & sic instat omni meliori modo &c.

Ego Fr. Justinianus N. peto, & inlto
ut fupra.
Ego Fr. N. Actuarius.

Hujusmodi petitionem Actuarius registrat, ut
fequitur: Prefata comparitio & instantia prefentata
fuit per eundem Patronum Fr. Justinianum N. & re-
cepta inter A. R. P. Die. Mense. Anno. loco.

Ego Fr. N. Actuarius.

Percepta instantia Judex deliberat, & nisi causa
urgens, ac evidens obftet, defert Instanti & petenti;
facto ad id Decreto v. g.

Considerata rationabili instantia Fr. Justiniani N.
Patroni, eam admittens, si, & in quantum &c. A. R. P.
Provincialis precepit prorogari terminum ad alio
alios dies ad producenda ea, qua pro defensione rei
facere possunt. Indulfit etiam, ut integra copia Acto-
rum una cum nominibus Accufationis & Testium eidem
daretur. Acta sunt hac &c.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Die prefati Mense, & Anni prefatum Decretum
Patrono intimatum, & copia integra juxta petitionem
data est.

Ego Fr. N. Actuarius.
Ego Fr. N. Justinianus Patronus.

451. Si sepius etiam ultra tres vices petitur Proroga-
tio, ex causa vere rationabili, eam concedere, si-
cut eontra rejicere debet Judex, si manifeste pa-
tet, tantum ad protelandum judicium peti pro-
rogationem, vel det ultra tertiam dilationem ex
abundanti aliquam peremptorie tamen sequenti
Forma.

Quamvis res, vel Patrono rei sufficientissimum
jam indulsimus spatium, & etiam bina vice proroga-
vimus illud, (ut patet ex Actis) ad producenda
ea, qua pro defensione sua fore judicaverit, nihilomi-
nus ex abundantanti terminum prefatum adhuc semel,
& quidem ad alios quatuor dies peremptorie tamen,
& ita prorogare decrevimus, ut, si intra prefatos
dies defensiones suas non producat, infallibiliter ea,
qua Juris sunt, acturi, & ad ulteriora progressuri
simus. Acta sunt hac &c.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

452. Si intra terminum peremptorie prefatum Patro-
nus, vel Reus suas defensiones non offerret, per
sententiam pro contumaci declarari, ac ad ulterio-
ra procedi debet; adeo, ut etiam ad definitivam
sententiam devenire Judex posset, nisi per rationabi-
lem causam a contumacia se purget Reus. Idem
confendum, & Reus pro contumaci declarandus
est, si peremptorie citatus non comparet; vel si
durante Processu interrogatus non responderet. No-
randum tamen, quod, quamvis Judex, postquam
Reum post litem contestationem pro contumaci jam
declaravit, possit etiam examinatis & consideratis
causis meritis, & probationibus devenire ad sen-
tentiam definitivam; tamen Reum etiam jam contu-
mace declaratum debeat adhuc citare ad senten-
tiam definitivam, modo infra u. 486. allegando.

Porro Formula declarandi aliquem pro contu-
maci in substantia ita fieri potest.

Cum elapsi essent termini ad comparandum, vel res-
pondendum, vel defensiones suas producendas, & A.
R. P. Provincialis adhuc per aliquot dies expectaf-
set, reus vera tamen non comparuerit, vel non res-
ponderit, vel nullas defensiones produxerit, ideo eum
pro contumaci, panasque contumacie incurrisse de-
claravit, ac contra illum tanquam contumacem ad
ulteriora prout Juris, progredi decrevit. Dein ci-
tatur ad audiendam sententiam, quae fieri potest
contra contumacem juxta dicenda infra. Jam vero
ad casum nostrum.

Illud specialiter observare debet Patronus, quod
nunquam suadere possit Reo, ut neget delictum
revera commissum, aut ut ad interrogatoria sine-
re non respondeat, sed id potius dissuadere, &
corrigere Reum debeat, si haecenus jam falso res-
pondit, hoc ipso, quod duplici peccato mortali
contra obedientiam nempe, & virtutem Religionis
teneatur Reus veridice respondere.

Hinc si Clientis suus vere reus est criminis, non
debet, nec potest in defensione sua articulare,
quod crimen non commiserit, aut sit innocens &c.
Sed debet aliunde querere remedium juvandi Cli-
entem, & eum saltem ab ordinaria poena liberandi,
impugnando v. g. indebitam formam Processus,
vel demonstrando delictum non esse plene proba-
tum, vel Testes non esse omni exceptione majores
&c.

Si vero deprehendit ex Actis, Reum jam esse
confessum, aut convictum, suadeat Reo, ut a cau-
sa desistat, judicisque clementiae se subiciat, &
per humilem ac sinceram delicti confessionem inter
poenitentiae & emendationis signa judicem ad mi-
torem sententiam permoveat; ubi enim Reus jam
confessus, aut legitime convictus dignoscitur,
tempus per ulteriorem Processum inutiliter per-
ditur, & Rei causa non melior, sed deterior
evadit, poenaeque ipsius non minuitur, sed au-
getur.

In casu autem, quo defendere oportet Reum, 455
debet ante omnia formare, & judici offerre Arti-
culos interrogatorios, seu interrogatoria, & in-
flare, ut fiat repetitio Testium, seu proponantur
illa interrogatoria Testibus jam examinatis contra
Reum pro fito, si putat, quod exinde aliquid
argumentum sui defensorium, & sibi favorabile sit
reputaturus; secus omittere potest, & offerre Arti-
culos, & defensiones probatorias, vel ipsam
statim defensionem. Nec enim est absolute neces-
sarium ad defensionem Rei offerre Articulos, sed
dari potest casus, quod absque illis v. g. ex ipso
Processu solo sufficienter formetur, ostendendo
v. g. delictum non esse probatum, Testes aper-
te sibi contradicere, vel non esse omni excep-
tione majores, non esse observata substantia-
lia &c.

Porro Articuli interrogatoriales nil aliud con-
cernere debent, quam majorem declarationem illo-
rum, quae Testes jam deposuerunt, ex qua de-
claratione Reus, seu Patronus eius sperat ansam
defendendi se v. g. secundus Testis Fr. Justus N.
fuit interrogatus, an Fr. Mævius furatus sit ca-
licem; & non fuit interrogatus de tempore: Fa-
cit Patronus interrogatorium ei a Judice propo-
nendum: Interrogetur, quo tempore furatus sit?
quia forsitan ostendere potest, se illo tempore alibi
fuisse, consequenter furtum non commisisse. Qua-
liter autem Articuli formari, offerri, & instantia
pro repetitione Testium fieri debeat, ex sequenti-
bus patet.

Anno. Mense. Die. loco. comparet coram A. R. P.
Provin-

Provinciali P. Fr. Justinianus Procurator Fr. Mævii
Rei praetensi, & nomine sui Principalis petit, ut fiat
repetitio Testium infra specificatorium, contra se pro-
fisco examinaturus, & proponantur eidem interro-
gatoria infra pariter specificata, videlicet.

Interrogatoria Testibus proponenda.
Testis secundus Fr. Justus N.

- 1. Interrogetur, Quo tempore fuerit in mea cella
habitatione asserens?
- 2. Qualis fuerit habitus?
- 3. An prius pulsaverit ad januam cella, ante-
quam fuit ingressus?
- 4. Quare non statim indicavit Superiori?

Testis primus Fr. Homobonus N.

- 1. Interrogetur, Quam die, & hora fuerit apud
Bibianam, & calices viderit?
- 2. Interrog. Quare non statim arguerit Bibianam,
vel calices ab ea petierit, si certo cognovit, esse
nostros?
- 3. Interrog. Quandam calices & Monilia fue-
runt perdit?

Ego Fr. Justinianus N. Patronus Rei.

Haec & similia interrogatoria plura Testibus exa-
minatis uni, vel pluribus proponenda form re po-
terit, prout nempe pro defensione sui Clientis uti-
le, vel necessarium duxerit.

Facta & presentate instantiae tempus registrat
Actuarius, ac etiam acceptionem a Judice factam,
v. g.

Prefata instantia una cum interrogatoriis presen-
tata, & ab A. R. P. Provinciali, si, & in quantum
&c. accepta fuit. Die. Mense. Anno. loco.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Oblatis & acceptatis Articulis interrogatoriis
Judex vocat, & examinatis Testes denominatos sa-
per interrogatorios propositis.

Anno. Mense. Die. loco. vocatus comparuit Fr.
Homobonus N. reus alius pro informatione Curiae
informatus, & ad instantiam Fr. Justiniani N. Theo-
logiae Lectoris, iterum examinandus super interroga-
toriis a se datis, prout supra in Actis, qui presitio
juramento de dicenda veritate, & exhortatione de-
bita praemisit, respondit, ut sequitur.

Interrogatus super primo? Resp. Diei non amplius
bene recordor.

Dictum est ei, ut aliquantum se resisteret; &
post spatium respondi: contigit die 8. Maii circa
horam 2.

Interrog. super secundo. Resp. Non statim me re-
solvere potui, quid agere deberem, praesertim cum
calices nominis involutos viderim.

Interrog. super tertio. Resp. Recolligam me, &
post intervallum dixit die 6. vel 7. Maii.

Quibus habitis depositionem sibi praestitam, cui ad-
dere, vel demere quid voluit, subscribere jussus, &
dimissus est inposito silentio.

Ego Fr. Homobonus deposui ut supra.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Postea eadem adhuc die & loco vocatus compa-
ruit Fr. Justus, Testis pro informatione Curiae pari-
ter jam examinatus, & modo ad instantiam Patroni
denovo examinandus, qui presitio juramento solito ad
interrogatoria respondit, ut sequitur.

Interrog. super primo. Resp. Parvam me recolligam,
Relevantia Jus Can. Tom. V.

& postea dixit 7. die Maii contigit.
Interrog. super secundo. Resp. Erat habitus Esli-
valis.

Interrog. super tertio. Resp. Utrique pulsavi; quia
tam inurbanus non sum, quod Sacerdotis cellam
ingrediar sine pulsu previo.

Interrog. super quarto. Resp. Volui parcere fame,
quia res erat occulta, & ipse mihi promittebat, quod
illa nocte adhuc vellet restituere.

Et his depositionem finivis, eamque sibi praestans
subscribere jussus est.

Ego Fr. Justus ita deposui.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Notandum, quod quando testis variat, aut con-
tradicit dictis prioris examinis, debet Judex que-
rere rationem variationis; qui si causam rationabi-
lem reddit, bene, si non suspectus est de suborna-
tione facta per Reum, & proin torqueri potest Testis,
de quo vide Ludovicum de Ameno in Practica
Criminali sect. 6. n. 22.

Facta repetitione Testium hujusmodi traditur Pa-
trono copia Testium authentica repetitorum.

Anno. Mense. Die. loco. postquam completa fuit
Testium repetitio, decrevit A. R. P. Provincialis, ut
authentica copia ipsius traderetur Patrono, in quorum
fidem &c.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Decreto conformiter eadem die copiam prius de vera-
bo ad verbum collationatam & authenticam Patrono
ad me vocato tradidi, qui ea recepta gratias egit, in
quorum fidem &c.

Ego Fr. Justinianus M. Patronus.
Ego Fr. N. Actuarius.

Habita copia praestata debet Patronus diligenter
lustrare, an Judex omnes Testes examinavit, juxta
interrogatoria eidem publicata, & si videt, quod
unum, vel aliud indebitè omiserit, debet de novo
facere instantiam, ut suppleatur, alias appella-
re super gravamine intendit: Si vero Testes ri-
te examinatos invenit, videre & considerare de-
bet, an & quae ex repetitione Testium serviant,
ut ea dein in Defensione habere valeat. Ante De-
fensionem autem debet formare, & offerre Arti-
culos defensionales, quos probare debet vel ex
Actis, vel per Testes de novo productos, vel per
alia instrumenta, & probationis media, si videt,
quod pro Defensione necessarii, vel utiles sint;
secus omittere, & ipsam statim Defensionem face-
re, ac offerre potest, uti supra n. 445. de Arti-
culis interrogatoriis dictum est.

Porro si Articulos defensorios offert, debet si
mul etiam designare Testes examinandos super quo-
vis Articulo; & instare, ut recipiantur, ac Testes
desuper nominati examinentur prout juris; totum
liquet in casu nostro.

Comparet coram A. R. P. Provinciali Fr. Justi-
nianus Patronus Fr. Mævii Rei praetensi, & presen-
tat infra scriptos Articulos defensorios ad favorem
sui Principalis, instatque, & petit, ut super iis exa-
minentur Testes infra designati, (si Testes succel-
sive producere vult juxta dicta supra n. 353. runc
loco infra signati, ponit, quos opportuno tempore
producet. Articuli vero sunt sequentes, quibus po-
ni, & asserit, verum esse.

- 1. Quod puella Bibiana die 8. Maii non fuerit
domi

domi ab hora duodecima, usque ad horam sextam.
 2. Quod septimo Maii tam Monilia quam calices fuerint in suo loco.
 3. Quod septimo Maii Fr. Mævius habitum Astitivalem nondum habuerit, nec portaverit.
 4. Quod Fr. Julius sit capitalis inimicus Rei.
 5. Quod Fr. Titius Accusator sit infamis, utpote, qui jam semel accusavit, & in probatione defecit.
 6. Quod Fr. Mævius diligens semper fuerit in Oboro.
 7. Quod Judex nullum possit condemnare, nisi confessum, vel convictum.

Testes examinandi.

Puella Constantia familia Bibiana, & uxor Aedii Civitatis super primo.
 P. Primitivus, & Joannes Servitialis in Sacrificia super secundo.
 Quirius ex Conventu obvius super tertio & sexto.
 Super quarto patet ex Processu, ubi deposuit Fr. Julius, ipsum lethaliter vulneratum esse à Fr. Mævio, consequenter ipsius saltem presumpsum esse inimicum, sive verè, sive falsò deposuerit.
 Fr. Aurelius super quinto.
 P. Lector Theologia Marius super septimo.

Ego Fr. Justinianus Patronus Rei.

Notandum, quòd, si Reus, aut Patronus Articulis impertinentes, superfluos, ad rem non facientes, periculosos &c. proponeret, Judex illos corrigere, moderare, diserte, vel totaliter delere & omittere possit, apponendo cuius causam, & censuram, cur id faciat: sic in casu nostro.
 Consideratis, & bene ponderatis Articulis Defensoris A. R. P. Provincialis censuit primum diserte, & si necessarij non fuerint, omnino omittere; tum quia Testes seculares super illo fuisse denominati: tum quia deoiminate notorie patiuntur exceptionem. Sextum autem etiam tanquam ad causam nihil facientem omnino delevit: sicut & septimum utpote non facti, sed Juris questionem continentem: Reliquos scilicet, & in quantum de Jure, admisit, salvo Jure. Acta sunt Die. Mense. Anno. loco.

Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Actuarius.

Si verò Articulus absolute acceptat Judex, notator in Actis ita.
 Presentati fuerunt supra scripti Articuli, & ab A. R. P. Provinciali acceptati, si, & in quantum, salvoque Jure illos moderandi Die. Mense. Anno. loco.

Ego Fr. N. Provincialis. Ego Fr. N. Actuarius.

463 Oblatis & acceptis Articulis Defensoris Judex Testes à Patrono nominatos vocat, & examinat in favorem Rei eodem modo, quo prius Testes in Processu informativo contra Reum examinari solent, ita tamen, ut illos super Articulis à Reo propositis non per ambages, sed simpliciter interroget, v. g. An sciat, vel putet Articulum esse verum, quamvis in causa scientie, & de Contestibus interrogatoria ex officio facere, simulque attendere debeat, an non Testes sint subornati, & inique instructi, cum præjudicio iustitiæ vindicativæ.

Porro Testes super Articulis Defensoris producti etiam super Generalibus interrogari debent; quia ordinariè sunt novi Testes in causa nondum

examinati, sicut jam examinati sunt illi, qui super Articulis interrogatoriis Rei examinantur, & consequenter super generalibus non amplius interrogantur. Res patet in casu nostro.
 Consequenter vocatus comparuit Fr. Primitivus denominatus Testis à Patrono, & præstito juramento de dicenda veritate respondit, ut sequitur.

Testis primus Fr. Primitivus. Ad Generalia.

1. Interrogatus, quomodo vocetur? Resp. Vocor Fr. Primitivus.
 2. Interrog. Fiunt interrogatoria ut supra n. 372. mutatis mutandis.

Ad Specialia super Articulo 2.

1. Interrogatus, an sciat Articulum esse verum? Resp. Scio pro certo.
 2. Interrog. In causa scientie? Resp. Quia die septimo Maii legi in Altari B. V. M. & meis oculis adhuc tunc vidi Monilia pendere; habuque unum ex calicibus, qui nunc dicuntur perditum.
 3. Interrog. de Contestibus? Resp. Monilia viderim omnes in Ecclesia existentes: de Calice notitiam habebit Sacristanus, utpote preparans illum quotidie pro usu Sacerdotum.
 4. Interrog. An nil aliud haberet, quod proponeret? Resp. Non.

Quibus habitis sit clausula ut supra.

Ego Fr. Primitivus.
 Ego Fr. N. Minister Provincialis.
 Ego Fr. N. Actuarius.

Post hunc vocatus comparuit Servitialis Sacristia, Testis à Patrono productus, cui juramento præstito, & audità exhortatione, A. R. P. Provincialis sequentia proposuit.

Testis secundus Servitialis. Ad Generalia.

Interrogatus, quomodo vocetur? Resp. Sc. Fiunt proportionata Generalia ut supra n. 372.

Ad Specialia super Articulo 2.

1. Interrogatus, an sciat Articulum esse verum? Resp. Ita A. R. P. Provincialis.
 2. Interrog. In causa scientie? Resp. Quia Monilia, & calices ambo adhuc vidi horà 11. quando finitis Missis clauderam Ecclesiam, & Calices ad suum locum reposui.
 3. Interrog. An bene sciat, fuisse illos Calices, qui modo suis perditum? Resp. Optimè scio, quia persectè nosco.
 4. Interrog. de Contestibus. Resp. Non dubito, quin plures viderint Monilia, & plures Sacerdotes habuerint calices ad sacrificandum.
 5. Interrog. An nil aliud haberet dicere? Resp. Non.

Quibus habitis &c. clausula ut supra.

Ego Joannes Servitialis ita deposui.
 Ego Fr. N. Minister Provincialis.
 Ego Fr. N. Actuarius.

Subsequenter vocatus comparuit Fr. Aurelius Testis à Patrono productus, & deposito juramento respondit, ut sequitur.

Testis tertius Fr. Aurelius. Ad Generalia.

1. Interrogatus, quomodo vocetur? Resp. ut supra.

Ad

Ad Specialia super Articulo 5.

1. Interrogatus, an sciat Articulum esse verum? Resp. Puto esse verum.
 2. Interrog. in causa scientie? Resp. Audivi ab aliis.
 3. Interrog. A quibus audierit? Resp. Non amplius bene recordor.
 4. Interrog. An Fr. Titius tanquam Accusator in probatione deficiens fuerit punitus? Resp. Hoc non audivi.
 Quibus habitis, sit clausula ut supra.

Ego Fr. Aurelius ita deposui.
 Ego Fr. N. Minister Provincialis.
 Ego Fr. N. Actuarius.

Postea vocatus comparuit Fr. Pomponius Testis à Patrono productus, qui præstito juramento deposuit, ut sequitur.

Ad Generalia ut supra. Ad Specialia super Articulo 5.

1. Interrogatus, an sciat Articulum esse verum? Resp. Pro certo non possum dicere, quia tantum audivi à Fr. Aurelio, quos Fr. Titius in Conventu N. accusasset Fr. N. & probare non potuisset.
 Quibus habitis &c. ut supra.

Ego Fr. Pomponius ita deposui.
 Ego Fr. N. Minister Provincialis.
 Ego Fr. N. Actuarius.

464 Si Patronus ex relatione Testium à se productorum recuset, quòd Judex illos pro favore Rei deponentes, aut deponere volentes increpare, deteruerit, impedierit, vel Actuario prohibuerit, ne Depositiones aliquas scriberet, vel ipse Judex dictans non fideliter diceret &c. potest Patronus contra illum tanquam suspectum appellare, de quo vide Ludovicum de Ameno in Formular. Criminal. sect. 6. ut. 32.

465 Completo examine Testium à Patrono designatorum, aut productorum, consignatur copia authentica examinis Patrono.

Anno. Mense. Die. Cùm Testium à Patrono super Articulis defensoris productorum completum esset examen, decrevit A. R. P. Provincialis copiam illius authenticam Patrono communicare, prout Juris, in quorum fidem &c.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
 Ego Fr. N. Actuarius.

Conformeriter Decreto eadem die Patrono ad me vocato memoratam Copiam prius de verbo ad verbum collationatam consignavi, qui eà receptà gratias egit. In quorum fidem &c.

Ego Fr. Justinianus Patronus.
 Ego Fr. N. Actuarius.

466 Habità copia hujus examinis rursus videt Patronus, an Judex super cunctis Articulis, & aliis rite perfectè examen: si reperit defectus instat, si minus, præparet se ad faciendas Defensiones. In faciendis autem Defensionibus studeat claritati, brevitati, & soliditati, omittenda minora motiva & argumenta, si efficacia & demonstrativa habet. Studeat etiam efficacia ad finem allegate. Forma Defensionum aliqua patet ex sequenti.

In Nomine Domini Amen.

A. R. P. Provincialis, & AA. RR. PP. de V.

Diffinitio &c. Constat AA. RR. Paternitatibus, quòd infra scriptus ego considerans in me defectum tam scientie, quam praxi in re Criminali, munus patrocinandi meo Principali, Reo præsenso non nisi invitum, & ex obedientia susceperim, susceptum autem fideliter exequendi juramentum deponere debevrim, consequenter non imo, sed pluribus titulis obstrictus maneam, Clientem meum pro possibili defensione pro Defensione Principalis mei proponere volui, firmiter sperans, fore, ut AA. RR. Paternitates Vestræ, præsertim A. R. P. Provincialis tanquam Judex Ordinarius ex officio suppleturi sint ea, que reuinitas mea, vel omnino omisit, vel defectuosè adduxit; cum juxta communissimam DD. in Jure fundatam doctrinam, Judex ex officio non tantum debeat indagare, & facere, quæ pro rei favore salvis Jure & Justitià servare possunt, sed Lex etiam præcipiat, ut pro favore rei supplet ea, in quibus tenuitas Advocatū defecit.

Ad propositum itaque pro plena Defensione mei Principalis facit primo quòd nullum ex delictis principalibus plene sit probatum.

Secundo. Quòd etsi dato non concessio, probatio aliqua appareret, nullius efficacia contra Principalem meum esset, eò quòd (suis semper respectu A. R. P. Provincialis) in Processu nec forma debita, nec essentialia Juris sunt observata.

Tertio &c. Quòd i. constat ex Actis, principalia, in quibus Fr. Mævius Principalis meus fuerat accusatus, esse factum Monilium è Statua B. V. M. pendendum, & Calicem è Sacrificia; ac vulneratio Fr. Julii, neutrum autem horum in Actis apparet probatum.

Nam de furtis loquendo, patet ex Actis, quòd unicus Testis de visu furti adductus nempe Fr. Justus, qui nec plene, nec simpliciter, imò nihil probat in hac causa, quia notissimè Juris est, quòd unicus etiam omni exceptione major Testis plene non probet, unde c. Veniens de Testib. expressè statuitur, quòd nec unius testimonium ad condemnationem sufficit aliquid; quia iuxta vulgare relatum in summano, c. Cùm nobis, de Testib. Vox unus, vox nullius.

Neque simpliciter, imò nil probat, quia est inimicus mei Principalis, cùm testibus Actis ex propria ipsius confessione (qua contra ipsum, non verò contra meum Principalem probat) fuerit à præsenso reo graviter vulneratus; gravis autem vulneratio omnino facit, quòd vulneratus à tempore vulnerationis, præsumatur inimicus vulnerantis, seu habeatur pro præsumpto gravi inimico vulnerantis, prout cum communi aliorum Ludovicus de Ameno in Practic. Criminal. Tit. Quales esse debeant. II. §. 2. n. 39. bene docet.

Nec dicat aliquis, furtum Sacrilegum esse unum de exceptis criminibus, contra qua etiam inhabiles probant. Nam contra est, quòd inimicitia aliis inhabilitat testem, ut in nullo quantumvis aliis excepto crimine contra inimicum testificari valeat, juxta commum DD. arg. c. Per tuas. 32. §. Nos verò, de Simonia.

Accedit præsumptio contra hunc Testem ex ipsius Depositione: Ad interrogatorium enim tertium eadem in repetitione propositum: Respondit, quòd ategum ingressus fuerat cellam Fr. Mævii, prius pulsaverit ad januam celle: quis autem credat, quòd Fr. Mævius ad pulsantem non clamasset, ut expectaret, si memoratas res furtivas ibidem apertas habuisset.

Nec gravatur indicis: Inventa enim ab eo clavis regia nullam facit præsumptionem. Nocturna visitatio B. V. M. super devotionem. Quòd fuerit in Sacrificia, sufficientem allegavit causam. Ex Literis

nil clarè habetur, ut legenti patet. Effraçtio carceris nec delictum nec indicium importat; quia sicut iusta, & licita, hoc ipso, quod Fr. Mavio innocens, consequenter iniuste fuerit incarceratus; iniuste autem incarceratus potest sine culpa & pœna effringere carceres iuxta communem DD.

Pariter nec plene, nec semiplene probata existit vulneratio Fr. Iusti meo Principali imputata, ob fundamenta dicta: Cum de illo unicus iterum testis Fr. Iustus Fr. Mavii inimicus, consequenter nil probans existat; prout etiam solemniter contra illum tanquam inabilem Testem excipio.

Cum itaque ex huiusque deductis satis constet, quod de Fr. Mavio delictum aliquod nec plene, nec semiplene sit probatum, nec indicia contra ipsum militent, vellet concluditur, meum Principalem sine ulteriori dilatione esse absolvendum, nec torqueri posse: E contra Accusatorem Talione esse puniendum. Quod cum iustitie conforme sit, ab Aequitate A.A. RR. Paternitatum Vestrarum indubitate speratur. Ita &c. Salvo &c.

Ego Fr. Justinianus Patronus.

Hoc vel simili modo si & Defensio presentatur iudici, & presentata registratur. Si in Defensione contra aliquam personam excipit ex causa criminosa, vel turpi: debet apponere clausulam protestatoriam, videlicet, quod hæc proponat absque animo insulari, offendendi, aut dissonandi, ad pœnam nempe, & necessariam Defensionem sui Principalis: ob quod etiam crimen simpliciter, sine exaggeratione, imò diminutè quasi proponere debet. Relatio presentationis fit sequenti modo.

Presentate, & Actis opposita fuerant Fr. Mavii Rei Defensiones que incipiunt &c. & desinunt &c. Die. Mensis. Anno. loco. In quorum fidem &c.

Ego Fr. N. Actuarius.

467 Si Reo, vel Patrono unus, vel plures ex Diffinitorio merito sunt suspecti, potest oblati Defensionibus etiam contra illos excipere instanto apud A. R. P. Provinciale, ne illos ex causa allegata merito suspectos ad iudicandum in hac causa admittat. In qua tamen Exceptione, seu Recusatione causa suspensionis legitima allegari, & prohiberi debet per Testes, vel alia legitima probationis media à Patrono exhibitâ; quòd si causa insufficientis quidem sed non probata intelligatur, rejicitur instantia Patroni: si verò legitima & probata, vel aliâ evidens apparet, admitti, & illi, qui recusatur, per Decretum à iudicatura excludi debent. v. g.

Comparet coram A. R. P. Provinciali Fr. Justinianus Patronus Fr. Mavii Rei prætexti de Criminibus, prout in Processu, & dicit, personam P. N. & P. N. sibi merito esse suspectum, ed quod notorium sit, unum esse fratrem Accusatoris, alterum verò Patrelem; quapropter ex causa præfata in Jure fundata illos ut Coniudices recusat, & vult, ut nullo modo, & nunquam in Diffinitorio admittantur ad consulendum, vel iudicandum in hac causa, protestando de nullitate Actuum, si aliter fieret, prout etiam in eventu appellat ex nunc pro tunc, & petit Apostolos instanter, instantius, instantissime. Acta sunt hæc Die. Mensis. Anno.

Ego Fr. Justinianus Recuso, appello ut suprâ.

Die. Mensis. Anno præfata instantia presentata, ac si, & in quantum acceptata, Actisque inserta, in quorum fidem &c.

Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Actuarius.

Si causa Recusationis liquidò non constet, coram A. R. P. Provinciali legitime probari debet, juxta dicta, de quo videatur Ludovicus de Ameno in Formul. Criminal. sect. 6. num. 39. & 40. Si probatur, vel aliâ in factis evidens, ac in Jure fundata exilit, desuper pronuntiatur. In causa nostra cum causa recusandi in factis & Jure liquidò supponatur, fit Decretum exclusionis, sequenti modo.

Consequenter cum A. R. P. Provincialis vellet congregare Diffinitorium, vel eidem communicare Acta ad consulendum, an, & quomodo Reus sententiarum, vel torqueri deberet, reus verò, vel Patronus illius recusat, & P. N. & R. P. N. ne nunquam admittentur in hac causa ad consulendum, vel iudicandum, idque expressâ manifestâ causâ, ed quod scilicet unus esset Accusatoris Erater germanus, alter verò Patrueus, decrevit, prout de factis decernit præfatos PP. NN. excludere. Ut autem horum loco alii subhiuerentur, vocavit A.A. RR. PP. NN. ipsosque consuluit, quoniam loco exclusionis substituentur putarent, & auditis eorum consiliis decrevit substituiere PP. NN. Acta sunt hæc Die. Mensis. Anno.

Ego P. N. Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Actuarius.

De Responionibus Actoris, vel Advocati Ficalis contra Defensiones Rei.

S U M M A R I U M.

- 469 Oblatis Rei Defensionibus, si Processus per Accusatorem, vel Denuntiationem Judicalem sit, debet Accusator, vel Denuntiator ad eas respondere, eaque impugnare; si verò per Inquisitionem ex mero officio sit, præstat hoc Advocatus Ficalis, & non udx.
- Praxis contraria reprobat. Ibid.
- 470 Praxis citandi Accusatorem ad impugnandas Defensiones Rei.
- 471 Quomodo Accusator, vel Denuntiator, aut Advocatus Ficalis, ad Defensiones Rei respondeat, eaque impugnare debeat? Forma hujus practica. Ibid.

Presentatis per Patronum Defensionibus Rei, citatur Accusator, vel Denuntiator Judicialis, & monetur, ut, si quid contra Defensiones Rei proponere velit, id intrâ certum assignandum Terminum faciat: Vel si Processus fit per viam Inquisitionis ex mero officio, deputatur Advocatus Ficalis ad respondendum contra Defensiones Rei pro Justitia vindicativa.

Quamvis enim apud nonnullos Regulares usus, & praxis obtinuerit, ut completo examine Rei, oblatis Defensionibus Patroni, Iudex ipse respondeat ad jura, & rationes Defensionis pro Reo oblatis; sive dein Processus ad instantiam partis, sive ex mero officio Judicis incurrentis fiat. Tamen melius, juriq; ac Justitiæ conformius est (prout bene demonstrat Ludovicus de Ameno in Pract. Criminal. Tit. Patronus, num. 187.) ut in casu, quo Processus ad instantiam partis, putâ Accusatoris, vel Denuntiatoris Judicialis fit, Actor post oblatis à Reo Defensiones citetur, & monetur, ut, si quid dicere habet contra Processum Defensivum (hujus nomine veniunt omnia, que pro Defensione Rei post communicationem Actorum facta sunt, puta, interrogatoria

& Articuli à Reo vel Patrono ejus oblatis, Repetitio testium, Defensiones, Exceptiones &c.) intrâ terminum eidem præfigendum proponat. Ad quem finem ei etiam debet Copia omnium Actorum, si petit, communicari. Hoc ipso enim, quod Accusator in probatione deficiens, ad pœnam Talionis, & calumnie tenetur, ei non minus quam Reo communicari debent Acta, ad defendendum se, & ostendendum, quòd rite accusaverit. Item ad refutandas Defensiones à Reo propositas, & deducendum, quòd eis non obstantibus Reus ad exemplum aliorum vindicta publicâ affici debeat. Id quod Accusator principaliter intendit.

Quòd si Processus ex mero Officio Judicis incurrentis instituitur, deputatur Advocatus Ficalis, qui Defensiones Rei impugnet, sicut Accusator: de quo vide infra num. 471. Ceterum Citatio, & monitio Actoris, seu Accusatoris, vel Denuntiatoris in casu nostro fit, ut sequitur.

470 Receptis Defensionibus Rei, volens A. R. P. Provincialis ulterius procedere citavit Fr. Titium Accusatorem, eumque monuit, ut, si quid forsâ contra Processum Defensivum proponere haberet, id in tempore faceret. Accusator autem his orationibus perceptis statim rogavit, ut eidem prius communicarentur Acta, quatenus videre possit, an, & quid adhuc in casu expellat. Cui illico deferens A. R. P. Provincialis mandavit mihi, ut permitterem Actori iurare Acta, & volens etiam authenticam Copiam Actorum, juxta petitionem ipsius darem, assignato quatuor dierum spatio, intrâ quod proponenda proponat. Acta sunt hæc Die. Mensis. Anno. loco.

Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Actuarius.

Dein describit Actuarius, vel describi facit Acta, (vel si Actor contentus est, brevitatibus causâ permittit ipsi iurare Originale) eaque prius debite collationata, & authenticata presentat Accusatori, vel Denuntiatori, aut Advocato Ficali (si Processus per viam Inquisitionis fabricatus) & presentationem registrat, ut sequitur.

Anno. Mensis. die. per me Actuarium Fr. Titium Accusatorem presentata sunt Copia Actorum de verbo ad verbum collationata, & authenticata, & assignatus terminus pro respondendo indicatus eidem, qui referatis sibi de Jure reservandis accepit, & gratias egit. In quorum fidem &c.

Ego Fr. Titius Accusator, Ego Fr. N. Actuarius.

471 Porro sive Accusator, sive Advocatus Ficalis pro Justitia vindicativa respondet, & Defensiones impugnat, debet in modo respondendi eidem ferè observare, quod supra n. 460. diximus de Patrono; hæc tamen cum distinctione, ut sicut hic pro Reo, ita ille contra Reum & Defensiones ejus pro Justitia vindicativa, quidquid potest, proponere debeat. In casu nostro Accusator contra Reum, & Defensiones illius ita respondit.

In Nomine Domini Amen.

A.A. RR. Patres de V. Diffinitorio, officio suo debita cum reverentia & obedientia intrâ terminum sibi assignatum satisfactorie comparere Fr. Titium, & contra Reum ac Defensiones illius pro Justitia vindicativa respondere, quòd est Officium Judicis exigat ut Iudex pro reo indaget, & faciat, que pro rei favore servare possint, ac propterea etiam tenuitatem Patroni implere debeat; tamen eidem Judicis Officium etiam requirit, ut pro Justitia vindicativa quoque omnibus vi-

ribus vigilet, & laboret, indeque defectum & tenuitatem Actoris, vel Advocati Ficalis in iis saltum, que Juris sunt, suppleat; ne alias delictis manentibus impunitis, alii liberius peccent; scandala crescant, mala invalescant, magno cum præjudicio, imò & ruinâ Monasterii, Provinciae, & Religionis. Religionem enim, in qua delicta manent impunita, ruine proximam, & actu jam miseram, malamque esse, bene observat Doctor noster Seraphicus S. Bonaventura afferens distinctionem inter bonam & malam Religionem dicendo, hanc ab illa discerni non ex eo, quòd etiam in bona Religione non sicut aliqua mala, sed quia in hac, mala non manent impunita. Accedit, quòd ubi Superiores delicta non puniunt, Deus ipsos, & integras Communitates punire solet. Quapropter non minus ac Patronus Rei confido in nota aequitate & justitiâ A.A. RR. Paternitatum Vestrarum presertim A. R. P. Provincialis tanquam Judicis ordinarii, minimè dubitans, eos majorem habituros respectum pro bono communi, quam unius privati presertim, qui reus & quidem malitiosus liquido apparet. Nec enim pro illo quidquam faciunt Defensiones à Patrono illius allata, quibus ostendere frustra nititur, delicta principalia, in quibus reus fuit accusatus, nec semiplene esse probata, consequenter reum esse absolvendum. & Accusatorem esse ad pœnam Talionis condemnandum.

Nam contra est, quòd ex Actis evidenter apparet, delicta principalia, si non plene, saltem plus quam semiplene esse probata, & per consequens, si non ordinaria, saltem extraordinaria pœna reum affici, vel torqueri posse, Accusatorem verò ab omni pœna immunem esse; cum juxta vulgaria Juris etiam semiplene tantum probans pœnis Talionis, ac calumnie minimè subiacet juxta communem DD. & Praxis, nostramque criminalem, & Accusatio. §. II.

Quod autem delicta principalia, & imprimis Sacrilega furta plus quam semiplene probata sint, patet ex Processu offensivo; siquidem de memoratis furis adegi imprimis Testis de visu Fr. Justus, qui etiam solus jam semiplene probaret; cum unus omni exceptione major Testis de visu semiplene probet, juxta Gloss. communiter receptam in l. 3. C. de Reb. Credit. v. decidi oportet, per Jura ibidem copiose allegata.

Nec obest, quòd contra illum tanquam presumptum ex facta vulneratione inimicum, & consequenter inabilem excepit Patronus: Tum quia rebus Actis Fr. Justus sacrilega furta de Fr. Mavio, Superiori jam manifestavit, antequam à Fr. Mavio vulneratus, & inde ex presumptione inimicus illius factus erat: Tum quia etiam post vulnerationem amicus illius permansit, & realem amicitiam erga illum exhibuit, rogando pro illo apud Iudicem, ne ob vulnus sibi inflicto Fr. Mavio puniatur; quòd verissimum exhibitum signum omnem inimicitie presumptionem excludit; utpote que semper cedit cognitæ veritati, per vulgaria Juris: Tum quia simul plura & quidem talia concurrunt indicia, que una cum ipso (estis dato non concessio presumptus inimicus, & consequenter Testis omni exceptione major non esset) si non plene, saltem plus quam semiplene probant.

Judicia autem sunt Primò, Confessata clavus Regia, seu adulterina, que ordinariè furem indicat. Secundò, quòd in locis furti, in Ecclesia scilicet, & Sacrificia januis clausis tempore nocturno, & quidem importuno, ac solus fuerit deprehensus.

Tertio, quòd per duos Testes omni exceptione majores plene probatum existat, res furtivas fuisse visas apud puellam Bibianam, cum qua suspectissimum consortium Fr. Mavio habet, & que altera die negavit, quòd à duobus visum est; quòd ipsam puellam plene suspectam reddidit.

Quarto, effraçtio carceris junctâ fuga Rei græve indicium facit.

Quinto,

Quinto, furtum praefatum clarè indicant litteræ à Reo ad Bibianam scriptæ, prius sapius perjurè negate, postea cum confessione confessate; hæ enim, quia expresse continent fr. Mevium misisse Bibiana aliqua, ratione quorum, si manifesta fuerint, perpetuos times carceres, quod aperte indicat, ipsum misisse res furtivas, & quidem tales, quarum furtum, sicut apud seculares mortem, sic apud Regulares perpetuos carceres inducit; Monilia nempe, & calices, quos sa- crilegè ablatis fr. Justus in cella fr. Mevii vidit, & ex ore ejus audivit, ac quos duo alii in dono Bibiane, cui fuerant misii, propriis oculis conspexerint, que gravissima indicia simul juncta & uni Testi de visu conjuncta plenam probationem facere videntur, vel certe probationem plus quam semiplenam efficiunt; præsertim quia scriptura propria confessata plenè probat contra scribentem, L. Publicia. §. fin. ff. Depositi. Cum concordant. Ac indicia simul juncta præsertim gravia inducunt præsumptionem Juris.

Pariter plus quam semiplenè probata existit vulneratio; dictum enim ipsius vulnerati, effractio carceris per Reum facta, & fuga ejusdem, nec non clamor fr. Just. quod actu Reum apprehenderit, utique plus quam semiplenè vulnerationem probant.

Effractio carceris denique violenta ex propria confessione rei, consequenter optimè probata habetur; cum propria confessio sit optima probatio per vulgaria Juris.

Ex quibus civitas patet, quòd si Reus ratione furtorum sacrilegorum, & vulnerationis non ad penam ordinariam, saltem ad extraordinariam condemnari, vel pro veritate adhuc magis erudèndu torqueri valeat.

Ratione autem violenta effractionis carcerum, ut pote confessata reum ordinariè penà afficere debere, dubio caret. Et quia sola violenta & injusta carcerum effractio de Jure Civili quædam capitis, consequenter apud Regulares perpetuis carceribus punitur, absque ulteriori Processu reus ad eosdem condemnandus videtur, non obstante, quòd Patronus in Defensionibus dicat, ream injustè carceratum, carceres justè effregisse; quia ex dictis evidenter patet, carcerationem hujus rei fuisse justissimam. Et quamvis A. R. R. Paternitatibus quidquam præscribere nullatenus præsumam; tamen pro administratione justitiæ juxta Leges, Canones, & Statuta nostra ex zelo Religionis & justitiæ, omni meliori modo injo, Salvus &c.

Ego Fr. Titius Accusator.

Hujusmodi responsio ab Accusatore, vel Advocato Fiscali contra Defensiones Rei data potest (ut patet) & debet magis ex jure deduci & probari. Hic enim brevitate causâ tantum rudem aliquam formulam damus. Casu quo autem Actor visus Actis nil amplius proponere, sed cuncta justitiæ judicis relinquere vellet, prout ordinariè fit, & ad Processum abbreviandum fieri expedit, si ex Processu patet, quòd Reus jam confessus, vel convictus habeatur. Reus, & ipse dein Actor citantur ad audiendam sententiam juxta dicenda infra numero 484.

De Tortura.

SUMMARIUM.

- 472 Apud nos sine consilio, & consensu Diffinitorii, vel proborum, ac peritorum Reus torqueri non potest.
- 473 Oblate defensiones, & earum impugnationes ante Torturam communicari debent Diffinitorio, vel probis, ac peritis: & quid hi facere debeant?

474 Qui jam confessus, vel convictus est de aliquo crimine, ratione illius nequit torqueri.

475 Modus torquendi apud Regulares quinam iustior?

476 Ante torturam fit Decretum de consulendis illis, quorum interest. Formula hujus n. 469.

477 Sub Tortura notantur omnes actus, & gestus Rei.

478 Modus decernendi Torturam, & ultimò monendi, ac examinandi Reum ante illam.

479 Modus torquendi Reum.

480 Confessio in Tortura facta, ut probet, debet alterà die in banco Juris ratificari, & quomodo?

481 Bancus Jaris quid? Ibid.

481 Ratificatione facta datur Patrono Copia examinans cum sermone respondendi, quare non debeat ad penam ordinariam condemnari.

482 Si expediens videbitur, communicari Patrono Defensio Actoris, vel Advocato Fiscali pro responsione, hæc verò iterum & ultimò Patrono. Horum praxis.

Oblatis à Patrono Defensionibus, & contra eas Responsonibus Actoris, vel Advocati Fiscalis Judex cum non illis unà cum aliis Diffinitorio communicare debet, ad audiendam consilia, & vota eorum, an, & qualiter torquendus sit Reus, Quia in Ordine nostro absque consilio & consensu Diffinitorii nec Reus sententiari, nec torqueri potest, nisi ratio suaserit, ut pro adhibenda Tortura loco Diffinitorii probi & periti assumantur ex conventu, ubi fit Processus, vel vocentur ex vicino uno vel altero Conventu. Cujusmodi ratio, & causa esset, si Diffinitores essent inexpectati in causa Criminali, vel pro ac contra affecti Reo, aut esset valde incommodum convocare propter ea Diffinitorium: ob quam ultimam causam in majoribus Provinciis, ubi Patres Diffinitorii longè ab invicem sunt separati, ad Torturam adhibendum plerumque sufficit consilium proborum & peritorum, qui commodius haberi possunt.

Habitâ copia Actorum tenetur quivis ex Diffinitorio apud nos, (apud nos, quorum est de Jure) legendo & perpendendo acta videre, an itatim & qualiter sententiari, an verò prius torqueri possit, ac debeat. Si statim sententiandus, & non torquendus, utpote jam confessus, vel convictus appareret, debent ante sententiam responsones Actoris, vel Advocati communicari Patrono Rei, ejusque replicatio desuper audiri, & tunc primùm sententia ferri, ita ut ultimò audiatur Reus, seu Patronus ejus, ut bene observat Ludovicus de Ameno in Præf. Criminali.

Si verò Reus nec confessus, nec convictus, & 474 per consequens nec sententiandus appareret, debent illi, quibus competit, (apud nos Diffinitorium, vel probi & periti) diligenter examinare Processum tam Defensivum, quam Offensivum, & videre, an & qualiter possit, aut debeat torqueri, si ex Processu constiterit, Reum jam esse confessum, vel convictum, nil in contrarium probantibus Defensionibus, torqueri apud nos non potest, hoc ipso, quòd exinde condemnari valeat, consequenter Tortura amplius necessaria non sit, ut bene habet textus Præfice nostre Criminali. Tir. Tortura. §. VI. Si autem non confessus nec convictus existit Reus, & tamen semiplena, vel plus quam semiplena adest probatio contra ipsum, torqueri potest leviter vel graviter pro diversitate delicti, juxta cit. Præfice nostram, loc. cit. §. V.

Modi

§. VIII. De Processu Criminali Regularium &c.

- 475 Modi torquendi sunt varii; inter quos apud Regulares frequentior, & commodior est arctatio Rei (ut vocant) que consistit in repetita flagellatione, propriis manibus Rei faciendâ, ac jejunio in pane, & aqua. Item flagellatio, quæ per unum, vel duos alios Fratres Laicos Reus omnino nudus solis indutus femoralibus per tria intervalla flagellis, nudosis funibus, aut virgis acutis tot ictibus graviter cæditur, quot Judex determinaverit (quos cædentibus non idem Reo prius indicat) quod etiam bis vel ter repeti poterit; ut habet textus nostra Præfice loc. cit. §. II.

Debiles autem, infirmi, pueri, & senes sexagesimum annum attingentes apud nos torqueri non possunt.

Ante torturam debet fieri Decretum, & inferi Actis subscriptum à consultis & consentientibus Diffinitoriis, aut probis & peritis, contra quod Decretum, si appellat Reus, attendi non debet, sed Tortura executioni mandari, in Actis autem notari, quòd Reus ad effugienda tormenta appellari quidem, sed appellatio non fuerit attempta.

477 Sub actuali Tortura Actuarius notare debet & scribere in Actis omnia, quæ dicit, vel facit Reus in tormentis.

478 Consequenter A. R. P. Provincialis attendens, quòd fr. Mevius N. super principali articulo de furto calicum, & Monilium nec confessus, nec plenè convictus, bene verò graviter indicatus, & plus quam semiplenè probatus appareret, inherendo Confessionibus Ordinis, consilium eorum, quorum de Jure, adhibere voluit, num & quomodo torqueri debeat Reus. Et quoniam eidem summe incommodum videbatur congregare ob causam hanc totum Diffinitorium, Patrius, per plures distantes Conventus, dispersis, vocavit ex hoc Conventu M. V. P. N. Lectorem Theologie, & ex illo Conventu P. N. Sc. in re Criminali magis expertos, & quæ requisivit, ut iustitiam & penitentiam Actis solum Deum præ oculis habentes, suam manifestarent mentem, & præberent consilium, cum & qualiter in hac causa locus sit Torturæ. Acta sunt hæc die. Mensè. Sc.

- Ego Fr. N. Theologie Lector.
- Ego Fr. N. Theologie Lector.
- Ego Fr. N. Lector Jubilatus.
- Ego Fr. N. Minister Provincialis.
- Ego Fr. N. Actuarius.

Alterâ die, eodem loco omnes præfati rursus convenimus, & habitâ conferentiâ conclusimus; quòd cum rebus Actis super principali articulo de furto videlicet monilium & calicum Sc. non tantum semiplenè, sed etiam plus quam semiplenè probatio adest, eamque non infirmarent Defensiones à Patrono Rei oblate: delictum verò gravissimam furtum sacrilegium sit satis atrox, Reus præmissa adhuc sensu gravi monitione, & minis omnino torqueri possit & debeat: & quidem ita, ut per duos Fratres Laicos virga acutâ nudus per tria intervalla graviter cedatur, dando eidem primo intervallo 20. ictus: alterâ vice, tertiâ vice 20. idque tribus sequentibus diebus pro arbitrio A. R. P. Provincialis repeti possit, si in perjury negatione persistat. Acta sunt hæc die. Sc.

- Ego Fr. N. Theologie Lector.
- Ego Fr. N. Theologie Lector.
- Ego Fr. N. Lector Jubilatus.
- Ego Fr. N. Minister Provincialis.
- Ego Fr. N. Actuarius.

Anno. Mensè. Dia. Loco. volens satisfacere votis

Patrium peritorum decrevit A. R. P. Provincialis fr. Mevium N. Reum in rigore constituere, & torqueri, prius tamen adhuc monere, & minis terrere. Quapropter vocavit ipsum, & delato ipsi, præstotique juramento de dicenda veritate, charitative & serio ipsum admonuit, quòd quantum apud Judicem, certum & indubitatum sit, ipsum esse Reum furti monilium & calicum, tamen conclusum fuerit hoc citre ex proprio ore Rei, det ergo gloriam Deo, & dicat sinceri, quare furatus sit præfata. Resp. Jam dixi me esse innocentem.

Dein rursus fuit monitus, ut sponte fateretur veritatem, aliâ per Torturam cogetur ad fatendum. Resp. In Nomine Domini; incipiam mecum, quidquid velint: ego sum innocens, & vindicabit Deus, si innocentem hominem torquent.

Videns autem A. R. P. Provincialis, quòd veritas aliter quam confessione ipsius haberi non posset, Reus verò in pertinaci negatione permaneret, decrevit, prout de factò decernit, reum juxta vota Proborum & Peritorum, ut supra, torqueri, ita ut nudatus, & manibus ligatus, à duobus Fratribus Laicis virgis acutis graviter, toties, quoties ei visum fuerit, cedatur: ubi tamen protestatus est, hanc Torturam fieri absque præjudicio jam probetorum, aut confessorum ad solam finem habendi veritatem super cæteris; & hoc Decretum in facie ipsius Rei lectum, & intimatum fuit die. Mensè. Anno. Loco.

- Ego Fr. N. Assessor.
- Ego Fr. N. Assessor.
- Ego Fr. N. Minister Provincialis.
- Ego Fr. N. Actuarius.

Pro Decreti executione vocati sunt fr. N. & fr. 479 N. Laici, qui ex mandato A. R. P. Provincialis dixerunt reum ad Cameram N. tanquam locum pro Tortura electum, & spoliaverunt eum usque ad femoralia, manusque illius ligarunt, sub spoliatione autem non cessavit A. R. P. Provincialis charitative monere, ut fateretur veritatem, & sincerè dicat, quare, & quomodo furatus fuerit Monilia B. V. Maria, calices, adhuc esse tempus evadendi tormenta. Resp. Reus, jam dixi, non possum aliter respondere, pariter innocens propter Deum, qui propter me graviosa passus est innocens.

Postquam spoliatus, & ligatus fuerat, iussit A. R. P. Provincialis Laicos, ut arripere virgas. Reo autem dixit, jam ultimò moneo ipsum verbis, ut fateretur veritatem, postea incipient verbera. Resp. Jam dixi veritatem, & propter veritatem volo pati, nolo enim mentiri.

Tunc mandavit A. R. P. Provincialis, ut inciperent valide percutere, donec juberet cessare, interponendo spatium dimidiæ Ave Maria inter unum & alium ictum; quòd & fecerunt, numerante interim A. R. P. Provinciali ictus in secreto per globulos Rosarii suo.

Ad primum statim validam ictum exclamavit, O Injustitia!

Pergentibus autem Fratribus percutere, rursus exclamavit, O Crudelitas injusta!

A. R. P. Provincialis verò interea continuò variè exhortatus est Reum ad fatendum veritatem. Resp. Etiansi occidant me, non possum aliter dicere; O Juste Deus! adjuva me, & vindica hanc injustitiam.

Finitis 10. ictibus præcepit Laicos, ut cessarent ad aliquod intervallum, reum verò alloquerent, ait: Videat Charissime fr. Mevii! qualiter existat diaboli Mancipium, qualiter suis perjuriis cruciet animam & corpus: vult vitare penas temporales, & conciliat sibi æternas, ipsaque temporales auget; quò magis enim perjurya multiplicabit, eò magis augetur

augebit penas per sententiam inferendas, & eo gravius adhuc torquetur: Dicit ergo, & fateatur veritatem.

Resp. Reus, Amore Dei, ergo nondum satis sevit in me? Adhuc semel tam crudeliter eractabunt me?

A. R. P. Provincialis: utique non tantum semel, sed saepius adhuc, & semper severius ita excipietur virgis hisce, donec fateatur veritatem.

Resp. Non possum aliter respondere.

Tunc mandatum est Fratribus Laicis, ut denno inciperent, & validius quam prius idus facerent, vix autem unus primum perfecit idum, statim clamavit reus dicens: Cesset, cesset, non possum amplius pati, volo itaque cuncta fateri.

Dictum est ei, ut incipiat fateri, postea illico cessabitur: cum autem tergiverfaretur, alter etiam percussit: Reus autem rursum clamavit: Cessate, fateor me furatum fuisse, calices & monilia.

Tunc mandatum A. R. P. Provincialis, ut cessarent: Ad Reum autem conversus, ait: Laudetur Deus, quod tandem aliquando incipias sapere, & desinas Deum tot perjuris offendere &c. Dicit ergo, quare, & quomodo furatus sis? Resp. Rogo per amorem Dei pro meo habitu, & omnia dicam.

A. R. P. Provincialis ei statim gratificavit, & permisit habitum: quo indutus Reus in genua provoluit inter copiosas lacrymas rogavit veniam de tot mendaciis & perjuriis huc usque factis, sui deceptus a diabolo & putavi, quod, cum unicus testis, videlicet Fr. Justus, sciret meam delictum, & consequenter plene probare non posset, vellem cuncta negare, & negando evadere penas. Sed fateor pro dolor! me tam monilia, quam calices furatum fuisse.

Interrogatus, quomodo potuerit furari? Resp. Maledicta clavis Regia serviebat ad hoc.

Interrog. Unde habuerit hanc clavem Regiam? Resp. Magister N. mihi eam fecit.

Interrog. Quando perpetravit hoc furtum? Resp. Die N. de nocte circa horam.

Interrog. Quare furatus sis ista? Non libenter dico.

Tunc A. R. P. Provincialis ipsum adhortatus est, ut sincere fateretur, fore enim, ut per humilem confessionem, & spontaneam sui confessionem Deum (cui alias jam cuncta sunt cognita) sit aliquatenus placaturus, & veniam tot scelerum impetraturus. Resp. In Nomine Domini, propter Deum ergo fatebor: Vultis pro dolor! apostatare, & cum Bibiana discedere, prius autem per res fortivas pretio vendendas, tot media procurare, ut inde commode possimus vivere.

Interrog. An propterea alio adhuc furatus sis? Resp. Ita.

Interrog. Quae? Resp. &c. &c.

Interrog. Ubinam habeat modum res fortivas omnes? Resp. partim mihi, partim portavi ad Bibianam.

Interrog. De sociis criminis? Resp. Sum solus in hoc, quia nulli fidebam.

Et quia hora erat tarda, fit clausula, & subscriptio, ut supra n. 382.

Ego Fr. Mævius depono ut supra. Ego Fr. N. Assessor. Ego Fr. N. Assessor. Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Actuarius.

480 Notandum hic, quod confessio, quam Reus occasione Torturae facit, non probet ad penam ordinariam rei, nisi altera die extra locum Torturae, & absque vinculis in Banco Juris id est, ubi Tribunal erexit Iudex, denno cuncta, quae ei ab Actuario praerogantur, ratificet. Minc sequenti die rursus vo-

catur, & examinatur Reus, ut sequitur.

Anno. Mense. Die. Loco. coram A. R. P. Provinciali, & RR. PP. Assessoribus ac me infra scripto Fr. Mævius reus, vinculis solutus, & extra locum tormentorum positus, vocatus fuit ad ratificandam ea, quae heri in Tortura depositus, prout supra in Actis: cui, postquam de dicenda veritate juravit, clara & intelligibili voce praerogavit depositionem. Quae audita,

Interrogatus fuit I. An modò bene audiverit, & intellexerit id, quod heri confessus erat? Resp. Ita.

2. Interrog. An sint omnia vera, quae tunc dixit? an ea ratificet? & an reverà commiserit illa delicta, quae confessus erat? Resp. Sunt omnia vera; pro dolor! & unquam non essent vera?

3. Interrog. An libere ac sponte, vel potius ex metu ulterioris Torturae praefata crimina confiteatur, & ratificet? Resp. Coactus à veritate & timore Dei confiteor.

4. Interrog. An confessioni huic ratificate velles addere aliquid, vel minuire, vel quid aliud proponere? Resp. Nihil habeo dicere, huic ut pro clementia & misericordia humillimè rogem.

Tunc A. R. P. Provincialis acceptatis, sic, & in quantum Depositionibus Rei ratificatis examen terminavit, & Reum ad carcerem reduci mandavit, si mulque decrevit, ut Patrono daretur copia Confessionis ratificatae, & constitutorum, nec non impugnationis, & Defensionum ab Accusatore oblatarum, assignato termino trium dierum ad producenda Jura, quare non debeas reus condemnari ad penam ordinariam, in quorum fidem &c.

Ego Fr. N. Minister Provincialis. Ego Fr. N. Assessor. Ego Fr. N. Assessor. Ego Fr. Mævius confirmo ut supra. Ego Fr. N. Actuarius.

Finito examine datur Patrono copia Confessio. 481 nis & constitutorum conformiter Decreto.

Dis. Mense. Anno. Loco. per me Actuarium Fr. Justiniano consignata fuit copia Confessionis à reo ratificatae, & intimatum Decretum Judicis, ut intra triduum Defensiones praeraret, qui gratias agens terminum acceptavit, reservato sibi jure petendi legitimas Dilaciones, si opus fuerit. In quorum fidem &c.

Ego Fr. Justinianus Patronus. Ego Fr. N. Actuarius.

Si postea intra terminum assignatum Patronus nihil amplius proponit, vel solum dicit, quod se clementiae judicis committat, uti fit, si Reus in & post Torturam confiteatur delictum, registratur in Actis, & servatis servandis proceditur ad Sententiam.

Si verò post Torturam novas Defensiones, novaeque jura allegat, debent ea pro responsione communicari Accusatori, vel (si ex mero Officio Processus sit) Advocato Fiscali, & hujus responsio denuo communicari Patrono, ut ultimè respondeat: quae tamen breviter fieri possunt, v. g. si Patronus post ratificatam confessionem in Tortura factam ita patrocinetur.

Die. Mense. Anno. Loco. comparet Fr. N. Patronus &c. & dicit, quod quavis multa haberet contra suarum Defensionum impugnationem ab Accusatore factam, nihil minus, quia Reus modò cuncta delicta sponte confessus est, nil amplius proponere habeat, nisi hoc unicum, quod hoc ipso, quia Reus sua delicta sponte confessus est, mitius, & consequenter non ordinari, sed extraordinarià penam afficiendus sit.

fit, cum juxta Municipalia, & communia Jura sponte confessus mitius debet, arg. can. Presbyterum. 3. & can. De bis. 38. dist. 50. & L. 1. C. Quae appellat. non recipiend. Ita, & omni meliori modo &c.

Ego Fr. Justinianus Patronus.

Possit Actor, vel Advocatus Fiscalis breviter etiam oretenus coram iudice ita respondere.

Multa illa, quae Patronus contra meam impugnationem habere se dicit, paucis, juvante Deo, & iustitia refutare sperarem. Ad id, quod de novo producit, videlicet, suum Principalem, utpote sponte confessum esse mitius, consequenter, non ordinari, sed extraordinarià penam afficiendum per Jura à se allegata. Resp. breviter, Reum Fr. Mævium nequaquam annumerari posse sponte confessum, de quibus Jura allegata; siquidem haec solum illos sponte confessos mitius puniri volunt, qui vel ante Accusationem, aut Inquisitionem se ipsos produnt, & humiliter, prout cum Glossa & aliis vult Abbas in c. De hoc. de Simonia. n. 8. Vel qui procedente Accusatione, aut Inquisitione citati, in primo examine interrogati suam sine ulla negatione delictum fatentur, ut docet Farinacius in Praxi. q. 8. n. 177. & alii. Vel si omnino favorabiliter loqui velimus, qui in primo examine, seu constituto negavit, in secundo, vel saltem tertio confiteatur, ut videre est apud Ludovicum de Ameno in Pract. Criminali. Tit. Reus. 11. am. 58. Nequaquam autem fieri in tertio constituto neget. Decreta, & minas tormentorum expectet, & multò minus, qui ipsa tormenta sustinere incipit, prout repetitis, ac deliberatissimis cum juribus malitiosissime fecit Fr. Mævius restibus Actis, qui propterea non tantum mitius, sed gravius penam ordinarià merito puniendus venit. Ita & omni meliori &c.

Fr. Titius Accusator.

Ad hanc verò impugnationem utpote sat claram Patrono communicatam, is, & quidem ultimò respondere possit. Remitto me in cunctis Judicio & Clementiae Judicis &c.

Ego Fr. Justinianus Patronus.

Quòd si Reus in Banco Juris constitutus iterum negaret, quae prius in Tortura confessus est, post se debet denuo torqueri. De quo vide Ludovicum de Ameno in Formul. Criminali. Sect. 7. num. 37.

De Sententia, & Observandis, faciendisque ante illam.

SUMMARIUM.

- 483 Breviter recapitulando recensentur, quae fieri debeant ante Sententiam.
- 484 Citatio Rei ad audiendam sententiam est de substantia Processus.
- 485 Citatio oretenus fieri potest, si Reus & Actor sunt praesentes: si sunt absentes per Deputatum fit in praesentia testium.
- 486 Forma hujus Citationis.
- 487 Non est necesse, ut Reus vel Actor intersint Sententiae, dum ferretur, nisi jam essent in loco. Ibid.
- 488 Recensentur plura necessaria requisita, & observanda circa ferendam Sententiam usque ad num. 500.
- 500 Forma Sententiae Definitivae.
- 501 Si Iudex delegatus fert Sententiam, debet esse praesens, & alios precedere.

Reiffentuel Jus Can. Tom. II.

Constat jam ex dictis, quòd finito benigno, id est, sine Tortura facto examine Rei debeant I. Reo offerri defensiones, cum assignatione termini juxta dicta à n. 441.

II. Si Reus non acceptat, sed forsitan jam convictus vel confessus eis plenè renuntiat, negotium & Processus brevi finitur; potest enim dein statim deveniri ad Sententiam, praemissa tamen Citatione juxta dicta n. 441 & dicenda infra.

III. Si Reus Defensiones per Patronum oblatas acceptat, debet ei concedi Patronus, quem sibi elegerit, & petenti etiam communicari Copia Actorum, etiam jam confessus, vel convictus esset, juxta dicta à n. 441.

IV. Debent Interrogatoria, Articuli, & Defensiones Patroni acceptari, & Processus Defensivus juxta dicta à n. 450.

V. Debent Defensiones oblatæ communicari Actori, vel si Processus ex mero Officio judicis inquisitione inlicitus, Advocato Fiscali, & Responsio ac Impugnatio illius expectari.

VI. Habitis Defensionibus Rei, & Responsione Actoris vel Advocati Fiscalis ad eos data, examinantur cuncta Acta ab iis, quorum est judicare (apud nos sunt Patres de V. Diffinitorio, quibus communicantur Acta) & videre, an Reus torqueri, vel sine Tortura sententia fieri possit, ac debeat.

VII. Si apparet, quòd Sententia absque Tortura fieri debeat, quia forsitan Reus ex Actis jam habetur confessus, vel convictus; vel quia ex alia ratione Tortura omittenda judicatur, communicatur Patrono Defensio, & Impugnatio ab actore, vel Advocato Fiscali facta, & datur ei terminus ad replicandum; Replicatione autem illius accepta, fertur Sententia, nisi talia nova specialia à Patrono essent proposita, ut necessarium videretur Judici, illa ad refutandum communicare actori, vel Advocato Fiscali.

VIII. Si verò consideratis considerandis videtur adhibenda Tortura, decernitur illa, & fit, juxta dicta à n. 474.

IX. Finita Tortura communicatur nova Rei Depositio Patrono illius. Et hujus nova Defensio, Actori (si necesse videret) istius verò Depositio rursus Patrono; ac postea fit Sententia juxta dicenda à num. 484.

X. Si completis cunctis his Defensionibus, & Responsionibus appareat, quòd Reus per Defensiones suas ita evacuaverit indicia & probationes Processus Offensivi, ut Crimen nec semiplenè quidem existat probatum, debet Accusator, vel Denuntiator condemnari ad penas calumnie (& apud nos etiam Talionis) ita tamen, ut ante Sententiam citeatur ad dicendum, quare non debeat condemnari ad dictas penas, pro quo in citationis Decreto assignatur ei terminus, intra quem defendere se potest. De quo vide Formulam apud Ludovicum de Ameno in Formul. Criminali. Sect. 8. num. 3. Nec hic damus dictorum Formulas practicas pro casu nostro.

XI. Quando autem ex Actis apparet, Reum esse confessum, vel convictum, vel crimem saltem semiplenè, aut plus quam semiplenè probatum, citantur tam Actor, quam Reus ad audiendam Sententiam certà die in Decreto citationis exprimentà faciendam. Ubi specialiter notandum, quòd haec Citatio Rei ad audiendam Sententiam fit de substantia Processus.

Citatio tam Rei, quam Actoris oretenus, vel in scriptis, & per quemcumque ad hoc Deputatum fieri potest. Et quidem, si Reus & Actor sunt praesentes, expedit, ut statim oretenus citentur;

Cita.